



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis Romanorvm Pontificvm

Liutprandus <Cremonensis>

Mogvntiae, 1602

XLVIII. S. Hilarivs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115

A.CCCCLXI.

S. HILARIVS.

*Syn. Romana
c. 2. 3. 4.*

HILARIVS, natione Sardus, ex patre Crispino, sedit annos sex, menses 3. dies 10. Hic ordinauit Episcopos 22. presbyteros 25. diaconos 6. Hic Romæ multorum Episcoporum Synodum congregauit, in qua omnium collaudatione corroborauit, ne quis, qui uxorem non virginem, & qui secundam duxit, & inscii litterarum, nec non & aliqua membrorum damna perpessi, & hi, qui ex pœnitentibus sunt, ad sacros ordines aspirare audeant. *ITEM*, & quodcunq; quis commisit illicitum, aut à prædecessoribus suis inuenit admissum, si proprium vult vitare periculum, damnabit. Item generaliter interdixit, ne quis vnquam successorem sibi subrogare præsumat.

a epist. 3.

Item in ^a alia epistola, quam Ascanio Episcopo destinauit, illos Episcopos, qui sine Metropolitanæ consensu consecrati fuerint, stare concessit, ita dicens. *Licet hi, qui præter notitiam, atq; consensum tuæ dilectionis ordinati sunt sacerdotes cum suis debuerant auctoribus submoueri. ne quid tamen in necessitate tanta decernamus austerum, eos, qui Episcopi facti sunt, ita volumus permanere, si Apostolicis præceptionibus, & sanctorum Patrum statutis non reperiantur obnoxii, ac deinceps nihil, quod contra Ecclesiasticam disciplinam veniat, sicut hætenus factum est, perpetretur.*

XLIX.

ACCCCLXVII.

S. SIMPLICIUS.

*^a epist. 2.
11. q. 3. c. priuilegium.*

SIMPLICIUS, natione Tiburtinus, & ex patre Castino, sedit annos 15. mensem 1. dies 18. Hic ordinauit Episcopos 36. presbyteros 58. diaconos 11. Hic obiit 6. Nonas Martii. Hic constituit, vt presbyteri ad S. Petrum, & ad S. Paul. & ad S. Laurent. manerēt propter baptismum. Hic Ioanni Rauennati Episcopo ^a epistolam scripsit, in qua eum arguit, quod Gregorium violenter Episcopum consecrauerat, dicens, *illum priuilegium mereri amittere, qui permissa sibi abutitur potestate. Et inferius in eadem. Denunciamus autem, quod si posthac quicquam tale præsumpseris, & aliquem seu Episcopum, seu presbyterum, aut diaconum inuitum facere fortè credideris, ordinationes tibi Rauennatis Ecclesie, vel Æmiliensis noueris auferendas.*

*^b epist. 3.
Floren:io.

Item aliam ^b epistolam scripsit * Florentino, Equitio & Se-
uero